

Emendationes locorum aliquot Marciani Capellae.

(Continuatae e t. XVII p. 638 sqq. et XVIII p. 323 sq.)

p. 294 § 285. Haud scio an tota haec paragraphus quae est de participiis ab ea sede quam nunc obtinet removenda et

inter §§ 283 et 284 interponenda sit. Exeunte enim § 283 'Participia' inquit 'licet per casus flectantur a nominibus tamen omni ratione dissentiunt'; nunc quivis exspectat de participiis sermonem institutum iri, sed de adverbis tractatur et tum demum ad id oratio regreditur quod et per se necessario post verbum poni debebat et in quod lectorum animos scriptor intenderat. igitur suspicor locum suum hanc paragraphum mutasse omissamque esse aliquam conectendi particulam.

p. 295 § 287 extr. 'Vtriusque casus praepositiones correptas esse non dubium est.'

In eis quae antecedunt posteaquam expositum est de prae-positionibus in *a* desinentibus semper producendis dicitur de prae-positionibus cum ablativo iungi solitis. nunc per se patet dicendum fuisse post haec verba de eis quoque quae adcusativo subnectuntur. ut brevi dicam quod sentio: ea sententia quam paullo ante descriptam adposui non dubito quin ex glossemate margini adscripto temere in textum inlata sit postquam ea exciderant quae ibi de prae-positionibus adcusandi casum ut dicunt regentibus perscripta erant. illud enim quod nunc legitur textui a lectore aliquo adscribi potuisse non mihi veri dissimile videtur: nam ex parte quidem re vera illud continet quod in capitulo expositum legebatur. deinde si quis hanc sententiam vere ab auctore profectam nihilque aut temporis iniquitate aut librorum socordia excidisse putaverit quo modo quateo explicabit? Cum tota res in eo vertatur ut alias prae-positiones produci alias corripri demonstraretur num quis tam ineptus esse potest ut ea quae neque ipse dixerat neque omnino esse possunt brevi complectatur?

p. 310 § 308. 'Nam de ceteris quibus dissident veteres quidam atrocum et ferocum qua ratione omnium X littera finitorum una species videbitur.'

Nullum verbum addit Koppius ut locum obscurum explicet cum simplicissima quaeque, quae ne pueros quidem mediocriter institutos ignorare magistri patiuntur commentariorum mole obruat. dupliciter autem explicari verba auctoris possunt. ceteri aut sunt grammatici a quibus distinguuntur veteres grammatici; tunc etiam structura recte se habet, nam is cum quo quis dissidet sane quam dativo casu poni potest v. Priscian. p. 1158: 'Pauca sunt quae activa voce soli dativo adiungantur. dissideo tibi: Hor. in II Carm. . . .' aut ceteri accipitur de casibus reliquis vocabulorum in X desinentium: antea enim de hisce casibus dictum erat. prius admitti nequit cum non intellegi possint ei de quibus ne verbum quidem antea dictum erat, totusque sententiarum conexus aliud quidquam in illo ceteris audiri vetat quam casibus. hoc autem si statuerimus structura

conlabitur: tum enim dissidendi verbum non potest cum solo dativo coniungi quia inauditum est eam rem de qua dissensio est hoc casu exprimi. equidem puto librarium aliquem ante quibus omisisse de quod paullo ante scripserat. itaque sic reponamus:

‘Nam de ceteris, de quibus dissident veteres quidam,
(scil. fit): atrocum et ferocum.’

inelegantiam autem minime vereor in eum hominem inferre qui hanc sententiam scripsit: ‘E correpta nomina terminata quae latina sunt neutra sunt.’ (p. 298 § 291 in.)

(Continuabuntur.)

Franciscus Eyssenhardt.